



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 37. Episcoporum libellus supplex circa usum calicis Regi porrectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

„Testamenti Scripturæ divinitus sint in-
„spiratæ, ac nonnisi unica detur Eccle-
„sia Catholica, & Apostolica sub uno
„solo Christi Vicario, cujus fidem tene-
„re adstringimur: reverenda etiam est
„certa, ac minime dubia Conciliorum
„Generalium auctoritas, nec in dubium
„vocari possunt ea, quæ ab illis fuere de-
„finita: servandæ sunt quoque tradi-
„tiones Apostolicæ, sanctorumque Pa-
„trum Orthodoxus sequendus est sen-
„sus: Constitutionibus, ac præceptis
„Ecclesiasticis obediendum, necnon se-
„ptem Sacramenta, quoad eorum usum,
„virtutem, ac fructum sunt recipienda,
„eo modo, quo Ecclesia semper ea ad-
„misit, ac hucusque recepit: denique
„exacte omnia ea, quæ Nostri Majores
„religiose, sancteque observarunt, re-
„tinemus, cunctasque cujuscunque ge-
„neris novitates horrore habendas du-
„cimus, atque monemus, a schismate
„esse cavendum, omnesque hæreses de-
„testandas, præcipue vero Zwinglii, Cal-
„vini, aliorumque sectariorum, sicut &
„Anabaptistarum errores.„

§. XXXVII.

*Episcoporum libellus supplex circa
usum calicis Regi porrectus.*

Promulgatis hisce decretis Præfules
ea, quæ statuta fuere, a Rege con-
firmari

firmari petebant, & postea die vigesima
 quinta Novembris Possiaco discesserunt:
 verum Regina Colloquium re infecta
 solutum ægerrime ferens, existimabat,
 Calvinistas ad saniora esse reducendos,
 si eis hi duo articuli, qui sacerdotum
 matrimonia, & Laicorum sub utraque
 specie communionem concernunt, con-
 cederentur: quapropter Episcopos in-
 ducere nitebatur, ut porrecto libello
 supplici Regem exorarent, quatenus u-
 trumque hunc articulum apud Papam
 urgeret. Ast potissimi Possiacensis Con-
 ventus Prælati, aliique plures hanc Re-
 ginæ petitionem haud gravibus obno-
 xiam censebant difficultatibus, atque i-
 deo ejusmodi libellum esse tradendum
 consentiebant: verum plures aderant,
 qui pro obtinendo communionis sub u-
 traque specie usu Romanæ Ecclesiæ
 consensum haud necessarium fore judi-
 cabant, hancque consuetudinem per Re-
 gis edictum revocari posse ajebant,
 eoquod per nullum decretum, aut Ec-
 clesiæ Canonem, sed duntaxat per con-
 trariam consuetudinem calicis usus fuis-
 set ademptus, qui sensim invaluisset:
 de cetero autem nulla reperiatur lex
 in jure Ecclesiastico, vi cujus pristinum
 usum redintegrare, Episcopi prohiberen-
 tur: Verum potissimi ex Præsulibus
 adversæ suffragabantur opinioni, in tam
 peri-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

Sæcul. XVI. periculosa re omnino Sacræ Sedis con-
A.C. 1561. filium esse expetendum arbitrati.

§. XXXVIII.

Papa per Regis Oratorem hac de re sollicitatus.

*Memoir.
 pour le Con-
 cil. de Trente
 p. 99. & suiv.*

Itaque Rex Romam ad Insulanum, qui erat ipsius Orator, hac de re literis die vigesima quarta Octobris datis eisdem negotium dedit, ut de soluto Poffiacensi conventu quantocius Papam edoceret: postea tamen Oratori suo injunxit, ut urgente Gallici Regni necessitate Papam sollicitaret, quatenus sacram Cœnam sub utraque panis, & vini specie sumendi facultatem populo tribueret, donec id in Synodo decideretur; eoquod olim idem in primitiva Ecclesia observatum fuisset. His addidit Rex, si vero objiceretur, hanc petitionem in Conciliis fuisse rejectam, tunc respondendum, quod summus Pontifex, cum in plurimis rebus toti regno minus proficuis toties, quoties libuerit, legis gratiam faceret, etiam in hoc maximi momenti negotio suæ potestatis plenitudine, suaque auctoritate uti posset, toti Orbi palam facturus, quantopere pacem, ac Franciæ tranquillitatem exoptaret, cum illa hoc pacto magis certa redderetur: Ceterum Rex de altero articulo, quem Præsules circa Sacerdotum